











1698.

18. Strykius, Samuel: De jure ususfructus de vicinis.
- 19<sup>a, b, c</sup> Strykius, Samuel: De cambialium litterarum acceptatione  
3 Exempl. 1698 et 1710.
- 20<sup>a et b</sup> Strykius, Samuel: De praesumptione pro magistratu.  
2 Exempl.
21. Strykius, Samuel: De jure servitutum praedialium  
hodiernis.
- 22<sup>a, b, c, d</sup> Thomassin, Christianus: De fundamentorum definiendi  
causas matrimoniales hactenus receptorum insuf-  
ficientia.
23. Werneister, Franciscus Henricus: Filium ariadneum  
in studio medico . . . pertere et Philiberti bene-  
vole probandum asserere sustinebit.



*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*













1698 23 12  
DISSERTATIONE MEDICA  
**FILUM ARIAD.**

**NEUM**

IN

**STUDIO MEDICO,**

*Annunte' divinâ Gratiâ,*

IN ILLUSTRIFRIDERICIANA

*Rectore Magnificentissimo*

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO**

**WILHELMO,**

ELECTORATUS BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c.

*Suffragante inclyto Medicorum Ordine,*

PRÆSIDE

MEDICO DOCTORE,

**FRANCISCO HEINRICO**

**WERCMEISTERO,**

Pertexere & Philiatris benevole probandum offerre  
sustinebit

**JOACHIMUS FRIDERICUS WACHTEL,**

Hemipolitanus.

*Die XVI. Decembr. A. M. DC. XCIIX.*

IN AUDITORIO MAJORI horis antemeridianis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typis Christiani Henckelii Acad. Typogr.



DISSERTATIONE MEDICA  
FILLUM ARIAD.  
NEUM  
STUDIO MEDICO  
ANNO 1771  
IN THEATRO FRIDERICIANO  
PRAESIDE  
SPECTISSIMO BRUNO DE DONNING  
D. N. F. R. L. U. E. R. I. C. O.  
W. I. L. H. E. L. M. O.  
ELTORATI BRANDENBURGICI URIBI 3c. 3c.  
Suffraganeus in medicina Ordinarius  
FRANCISCO HERBARIUS  
WIRCHOWIENSIS  
Ponente & Tribunus benevole proferendum officio  
Hamburg  
JACOBUS FRIDERICUS WACHTEL  
Hamburgensis  
DE XII. DECEMBR. 1771  
IN AULICO MAIORI SPECTACULO  
J. H. F. MADDEBUCHE, Typogr. Cant. Hamburg. Act. J. 1771







## PROOEMIUM.



### Difficilia quæ pulchra!

Horrescit animus, mens hebescit, languescunt membra, obmutescit lingua, si in stadio suo, quod Philiatro percurrendum tot circuitus, mæandros & perplexo cursus perspexerit. Enim verò ne de Medicinæ, ut artium Reginæ ita etiam difficillimæ, diversis dicam partibus, ne vastissimi regni tricorporis meminero ambitus, quàm dubiæ quæso existunt viæ ad fundamenta Basilicæ ejusdem ducentes: siquidem multi eadem qualitatibus, multi particularum figuris, alii aliis fundare annituntur; Quam perplexi itus & reditus studioso Medico commonstrantur, dum tot rixæ, litigia & concertationes foventur tam inter Physiologiæ, quam universæ Medicinæ partium, imprimis Botanices scriptores. Quanti circuitus deprehenduntur exactis tot Medicorum sectis, in quibus hæc ratione, illa experienciâ, alia certa innititur methodo. Imo verò, quàm anceps cursus redditur medicus, ubi seposita quidam omni Theoria prono impetu ruunt in praxin, propalantes, si quis totidem annos, quod Homericus circulator per orbem vagatus est, Theoriæ se se dedat, & ingenium mascule exerceat speculando, nihilò meliorem inde fore Medicum, nec eo nomine vel ullum agrum reducturum in gratiam



tiam cum diva Hygieia. Quid mirum igitur, si tam rari hac ætate assurgant οἱ τῶν ἰατρῶν παῖδες ad exoptandam illam, promptitudinem; ad securam illam certitudinem, ad raram illam felicitatem propulsandi morbos, quorsum priscos rerum Medicarum Antistites evectos novimus. Certe hi non nisi insomniis moventur, & dicam audacter, ponendi sunt infra mechanicorum mancipia & pueros, quos inter nullus non fatagit pernoscere & curioso oculo ac mente perdiscere supellectilem rerum, quarum usus est ad finem opificii indispicendum. Atque adeo verè labyrinthus existit stadium medicum vel strenuis Philiatris percurrendum. Quibus licet in nostra quoque FRIDERICIANA ab Excellentissimis Medicinæ Antistitibus succurratur, commonstrando semel: *Difficilia esse quæ pulchra*, imo sacrum esse Regiæ nostræ palatium, quò non nisi summo labore eniti liceat: Iterum ostendendo regiam viam, qua incedentes felicissimo potiuntur fine; Nobis tamen nemo, nisi qui sinistra prorsus rem metiatur æstimatione vitio dabit, ubi post Sempronium Gracchum in egregio Tractatu de Medico hujus seculi, & celeberrimi Franci methodum addiscendi Medicinam studiosis quibusvis Medicis filum Ariadneum emergendi ex opinionum medicarum, partiumque alias perplexarum labyrintho præter præsentissimam Laudatissimorum Antistitum opem adumbrare sustinuimus. Neque vero demirari quis poterit hanc Inscriptionem studii Medici, quandoquidem jam dudum ante nos Clarissimus B. Ammannus, in præfatione characteris plantarum eodem titulo insignivit studium Botanicum. Ut ut autem rem subtiliorem, quam manus nostræ ferre poterant, pertexendam sumserimus, à sapientissimo tamen Archietætonico ita adjutum iri nos speramus, ut non sine fructu cadere possit atque emolumento exoptatissimo. Is itaque adsit nobis benignissime!



1) Tradit adminicula medicinae studioso necessaria, eaque (1) quomodo negligantur, (2) quomodo restaurentur, nempe (α) per fidum Achatem, (β) per Professore[m] Eloquentiae, (γ) per modestiae & temperantiae studium, (δ) Memoriae exercitationem II) Claudit commendatione studii pietatis



*Uti nihil affert, nihil refert!* Uti Candidatus Acade-

micorum studiorum omnis, ita praeter caeteros ad artem medicam animum applicaturus oportet, ut lingvarum, Latinae maxime atque Graeae, Oratoriae, eoque pertinentium partium, Logices, physices atque metaphysices principiorum, nec non Matheseos adminiculo accedat instructus. Enim vero hocce destitutus & in cimmeriis versabitur tenebris, & in labyrintho periculosisimo. Ut ut autem hoc effatum ex tripode quasi dictum sit, invenientur tamen qui licet vel mala consuetudine, vel vitae perversitate, vel praceptorum mansueta indulgentia decepti lingvis neglectis artes despexerint laudatas, & nihilominus summo ardore ad Reginam artium ferantur, durissimisque aliis necessitatis telis ad vitam academicam & rapiantur & cogantur. Quibus certe, si unquam Theseo cuidam, labyrinthum ingressuris filo Ariadneo opus, quo extricare commodè se queant.

§. II.

Filium ariadneum hic *fidus* erit *Achates*, tam *contubernali*, quam *mensali* & quavis alia vitae societate firmiter adjungendus, qui nunc familiariter colloquendo, nunc



*scribendo*, nunc *legendo*, nunc alio modo latii sermonis compotem eum reddat. *Colloqui* quidem familiariter, idque latinè, gestiat de variis haud inutilibus rebus, imprimis verò de homine, ejusque statu naturali, recensendo partes modò internas, modò externas, earum structuram, situm, conformationem, functionem & usum; nec non de statu morbofo, enarrando varios variæ indolos morbos, causas, signa; Imò vero *brumalia otia* exercitationibus *chymicis*, demonstrando vasa, modum procedendi, causas & effectus pro virili; *estiva* vero *botanicis* excursionibus, nomina, characteres, loca, vires & compositiones plantarum, florum & fructuum explanando, insumere aptè potest. *Scribendo* vero epistolas varii generis, variarum occasionum materiis oblati, quas ille fidus Achates non perlegat modò, monendaque moneat, sed & virgula censoria notet; *legendo* denique libros imprimis Medicos, *institutionales facilioris & fluidioris stili*, quales sunt Jacobæi, Waldschmidii, Franci, Vesti.

§. III.

Attrectabit felicissime filium Ariadneum, idque aptissime *prosequetur*, infelix alias candidatus noster, ubi præeunte fido Achate sese stiterit *Professori Eloquentiæ*, ejusque amorem & faciliorem aditum sibi conciliet, adeo, ut non modo consiliis saluberrimis, verum & præsentissimo auxilio inde quotidie foveatur. Quemadmodum vero in plerisque Academiis eloquentiæ Antistites sunt constituti, qui promptissimo animo fores suas cuilibet patentes velint, quovis tempore re consiliove desiderantibus succurrant, ità in nostra maxime Fridericianna vivit *Excell. Cellarius*, qui eadem est voluntate qua facul-



cultate, inserviendi, cuilibet, præter cæteros artis oratoriaræ, studiosis. Hic itaque affiduo studio prosequatur, quod alibi denegatum; allaboret eo, ut epistolam in quovis genere nitide ac artificiose, conscribendas chrias, & orationes cujusvis generis componendas addiscat. Præter cætera fluidum, eumque facilem purum & elegantem stylum latinum excolere studeat. Quod quidem stadium strenuè currens scientias, Logicam scilicet physicam Mathesin &c. utut dissidentes, manus tamen invicem conjungentes sibi, quantum fieri potest; proponat, cum Lemmate: *conspirent amicè.*

§. IV.

Quibus probe observatis unà *modestia, temperantia,* obsequio aliisque virtutibus omnino litandum est. Nec animus plus justo gravandus nec defraudandus esculentis & potulentis, & *ordo* ubivis proficiuus fideliter *exsequendus.* Et vero hæc dum memori sub pectore volutantur *memoria quotidiana exercenda* ad unguem est, illa enim juxtà Drexelium pari cum ventriculo jute gaudet, qui, quo minus digerendum accipit, eo magis flaccescit, & de tono suo dejicitur, quo plus autem cibis, licet durioribus, exercetur, eo magis virtus ejusdem & robur augetur. Proinde exerceatur quotidie, idque *singulo mane imprimendo Aphorismos Hippocratis,* compendio totius artis medicæ, à cujus lectione Vir Medicus consummatissimus nunquam indoctiorem se recedere etiam nunc proficitur. Hosce itaque ediscendos sibi assumat à penso tenui incipiendo, augendoque in dies singulos: sub *meridiano & vespertino tempore* memoriæ mandet vel theoremata *Excell. Wedelii,* vel *fundamenta medica Excell. nostri Hoffmanni,* vel alia, ad quæ vel proprio ausu vel maturo svasu  
alli-



allici poterit animus. *Pietatem* autem præ omnibus curæ habeat cordique, mane surgens eidem studeat, per integrum diem pectus consecret, vespere commendatam habeat, nec noctu de se relinquat. Sic labyrinthum feliciter superabit, sin, quod in prima coctione neglectum nunquam repetetur in secunda vel tertia.

CAP. II.

I) Demonstrat difficillimam esse artem Medicam. II) Edocet cordate auspiciandam (1) a synopsi quadam, (2) ab Institutionalibus, (3) a physica Experimentalis, (4) ab Anatomicis, (5) a Botanicis.

**D***imidium facti, qui benè cœpit, habet;* Regina artium quò emicat gloriosior, eò majore, qui ad ejus solium eniti satagit, opus habet labore. Non equidem nescio, nec Theologiam nec Jurisprudentiam maxima sua carere difficultate, at cum quanam harum Medicina de latissimo ambitu, longissima difficultate certare non possit minus intelligo: Enim vero hæc propter partium suarum diffusissimam latitudinem non modo longissima, verum etiam propter diagnoseos & prognoseos incertitudinem, morborumque curationem difficillima existit. Longissima est, ita quidem ut Philater Galenum vel in solo oculo centum & triginta morbos recensentem inaudiens extremisecat! Ne dicam quanta subsit difficultas morborum, tantum non innnumerabilium, signis eruendis, investigandis caussis & medicamentorum virtuti cum explorandæ tum applicandæ. Unde qui vel propius artem nostram salutarit, habeat cur exclamet O abyssum, o labyrinthum insuperabilem! sed bono animo! magnus quidem est Medicinæ labyrinthus, superabitur tamen non infeliciter vero Ariadnæ filo,



filo, quod opportune quilibet Medicinæ sectator apprehendet, si saluberrimum *Polybii* in addiscendo amplissimo Historiæ studio *consilium minus de mente dimiserit*, & ad artem medicam applicarit, qui jubet ὑπὸ μίαν σύνοψιν ἀγείν καὶ σωματοποιεῖν i. e. uno intuitu complecti & velut in corpus redactam animo comprehendere. Illud autem fieri potest, si primò omnium ob oculos sibi posuerit duas partes principales Medicinæ, Ὑγιεινὴν καὶ Θεραπευτικὴν, subjunctis hisce sex minus principalibus, nempe tribus, ut vocant, antecedentibus, Physiologica, Pathologica & semiotica, & tribus consequentibus sive pedissequis, Diætetica, pharmaceutica & Chirurgica; seorsim hinc memoria commendando, quid sit Medicina, quid ὕγιεινὴ quid θεραπευτικὴ, quid sibi velit physiologia, pathologia, semiotica, quid vero Diætetica, pharmaceutica & Chirurgia? Quantæ hæc synopsis sit necessitatis pariter atque utilitatis, olim D. Præsidi, studioso adhuc, observare licuit, familiariter enim consuescenti cum Medicinæ cultoribus quærentiquè, quid Medicina, quot partes Medicinæ? evenit, ut illi nec quid Medicina nec quotnam ejus partes nossent. Hinc prosequetur cordate auspiciando studium Medicum ab institutionibus, quæ sunt nihil aliud, quam synopsis totius artis Medicæ, quæ, si quis in iis vera jecerit fundamenta, sufficere possunt pro regula Lesbia in universo studio. Hic itaque commendatas sibi habeat quilibet pro ingenii viriumque modulo vel celeberrimi *Wedelii theoremata* vel *Excell. nostri Hoffmanni fundamenta*, ex principiis naturæ mechanicis succinctè adornata, vel *Franci institutionum Medicarum synopsis*, vel *Waldschmidii institutiones medicinæ rationales*, vel denique *Vesti Institutiones reformatas*, una cum superlaudato *compendio Institutionum Jacobæi*.

B

Si



Si quando tempus suppetat ad formandum meliorem conceptum in auxilium trahat *Mœbii Tabulas* s. synopsis epitomes Institutionum imò verò epitomen ipsam *fundamentis physiologicis*, aliaque, quæ pro majori informatione & explicatione inservire poterunt; Neque vero sine emolumento maximo hic legi iterumque legi mereatur *Petri Laurenbergii portico Æsculapii* nec non *Ettmülleri Medicus theoriâ & praxi generali instructus*.

§. II.

*Cordate auspiciandum à Physices notitia*, eaque maxime *experimentalis* intimè pernoscenda. Hæc enim verus iste sol existit, exoriendus Tibi in labyrintho Medico, qui lucidis asperis radiis opportune efficit, ne manus tuæ vacillent, pedes titubent, sensus tui fallantur, ingenium deficiat, mens animum despondeat, sed plus ultra enitare totus totus. Eò verò philiater hic præcipuè allaboret, ut ex cognitione materiæ & natura motuum genuinas effectuum causas explicare addiscat: Verissima enim sunt verba, reperiunda in Dissert. Inaug. de mechanica operandi ratione remediorum evacuantium sub Præsidio *Excell. nostri Hoffmanni*: Quicumque motuum leges probe intelligit, & quomodo motus varie determinet, modificet ac disponat materiam, & vice versa materia varie disponat motum, cognoscat, ille in absconditas causas penetrare, & quæ aliis insolentia & prodigiosa videntur, plane perscrutari potest. Motus enim principale ac præcipuum quo natura in suis operationibus gaudet, instrumentum activum est. Hinc igitur felicissimo pede, quod in omnibus & singulis Medicinæ partibus, penitus exhauriendis, maxime proficuum impetrabit, quippe in Physiologicis perspiciet fa-  
ni-



❁ (II) ❁

nitatem nil esse, nisi motionem æquabilem partium fluidarum, tam sensibilibium quam insensibilibium, per partes solidas, motu intimè uniri heterogenea sanguinis elementa; In Pathologicis percipiet, motu sanari morbos, heterogenea temperando, secernendo & evacuando. Huic scopo insigniter litant *Collegia Physico-Experimentalia*, in florentissima quidem nostra *Fridericiana* aperta ab *Excell. nostro Hoffmanno*; *Altorffi* vero ab *Excell. Sturmio*, in alma *Salana* ab *Excell. Hambergero*, in illustri *Philyrea* ab *Excell. Schambergero*, & uti olim in laudata *Jenenfi* Musarum sede, ita nunc in *Julia* ab *Excell. Schmidio*, primo loco propter studii amorem ponendo. Inserviunt *experimenta Magdeburgica Ottonis de Guericke*, scripta *Boyleana*, *Sturmiana* & *Excell. nostri Hoffmanni Axiomata Physico-Experimentalia*. Quibus cum jungantur, tam propter experimentorum, quam ipsius *Physices* notitiam, *du Hamel* opera philosophica, *Stair*, *Saint Romain*, *Antonii le Grand*, *Sengwerdi* institutiones physicae, *Excell. nostri Sperlette physica nova*; *Newtonii* philosophiæ naturalis principia *Mathematica*, *Enchiridion Physicæ restitutum Autoris* anonymi: *Mayovii Tractatus Medico-Physicus de Nitro aëreo*, *Morhoffius* de *Scypho vitreo*.

§. III.

*Cordatè auspicandum* una studium medicum ab *Anatomia* cum animalium quorumvis, præter cætera ad corporis humani structuram proximè accedentium; tum verò imprimis cadaveris humani; Enim verò cū machina corporis humani sit fabrica stupendæ elegantia, & admirationis plena, qua nihil subtilius exactius & cultius excogitari potest, cujus motus perpetua concinnitate,



& concinna perpetuitate rotatur, adeò quidem ut nunquam Titan radiis suis illustrarit Architectonicum tantæ subtilitatis, tantæ admirationis & ingenii; qui intuens fabricam corporis humani coram Creatore universi sese non abjecerit, ejusque infinitam sapientiam adoraverit, sectator quilibet artis medicæ persona sua nihil præstiterit indigni, si qua arte, quoque artificio omnes rotulæ in machina nostra artificiosissima cohæreant, quomodo alterum ex altero fluat, quæ laboratoria, quæ culinæ, quæ actiones, quæ producta & effecta, quales mæandri, quales itus & reditus in ea reperiantur per artificiosam dissecandi rationem addiscere non erubuerit. Neutiquam vero hic ad veterum facultates respiciendum, verum omnes actiones in homine *ratione*, merè *mechanica* peragi, adeo quidem, ut actio, quam obit unaquæque pars, ab ejus structura omninò dependere, quippe quæ necessariò sequatur ex ejus naturali dispositione, nec quicquam diversum ab eo, quod agit, agere queat accurate observandum. Quapropter suffecerit concipere circulationem sanguinis procedere à centro ad peripheriam per arterias, & à circumferentia versus centrum per venas; binos non solum liquores, sed & cæteros omnes à sanguine separari adjuvante dispositione partium, eo modo configuratarum, ut liquorem hunc potius, quam illum præterlabi sinant; quippe qua ratione succus animalis ope glandularum, in cerebro diditarum, secernitur, saliva parotidũ & maxillarum ministerio exprimitur, bilis per glandulas hepatis percolatur, urina beneficio renum sequestratur, & ita de reliquis. Et vero hæc scientia quibusvis hominibus adeò fructuosa est, iis præsertim, qui medicinam facere  
ge-



gestiant, ut hanc negligere nequeant, quin professionem suam penitus abdicent. Ea enim Medicinæ basis & fulcrum est. Hinc etiam Hygiæ addictus mæandros, itus & redivus labyrinthi investigaturus, nullam prætermittat occasionem *anatomis publicis* inserviendi, *collegia anatomica* quæcunque, & quocunque loco aperiantur, nunquam negligat, sed sedulo & impigre se una exerceat, attentè cadavera inspiciendo & investigando; ubi nunquam non instructus sit *Lyseri cultro anatomico*. Magni insuper faciat, *Andream Vesalium* in eximio opere de *Fabrica corporis humani*, *Adrianum Spigelium* in opere *anatom. cum annexis tabulis Julii Casserii Placentini*, *Joh. Veslingii Syntagma anatomicum* lectu dignissimum, *Thomæ Bartholini Anatomien*, *Isbrandi Diemerbroeckii Opera Anatomico-Medica cum Andreae Laurentii Historia Anatomica* propter uberrimam omnium partium explicationem, *Petri Dionis anatomiam*, principiis *mechanicis* innixam, *Verheyen Anatom.*, *Bidloo*; Et qui compendia mavelit, legat *Joh. van Horne*, *Anatomia Professoris*, cum viveret, dignissimi, *Microcosmum*, *Marchetti oculatissimi* in plurimis dissectoris anatomiam, *Joh. Riolani enchiridion Anatomico-Pathologicum* elegantissimum: Inprimis verò *Danielis Taurvy* novam anatomiam secundum leges *mechanicas* adornatam, præstantissimam propter annexas ex optimis anatomicis tabulas; Et denique commendatam sibi habeat *Joh. Browne Myographiam* novam accuratissimam.

§. IV.

*Cordatè auspicandum* porro studium medicum maximè, si anni tempus, cælum solique fertilitas favere videantur à *Botanica*, parte Medicinæ nostræ omnium ju-



cundissima, cujus deliciae hactenus Magnates multos allicere potuerunt: Neq; verò solùm jucundissima hæc Medicis est scientia, verùm etiam utilisima, ut enim taceamus, vel solâ plantarum figurâ, loco earum genitali ex variis tricis & mæandris eos extricare se posse, e.g. sic beneficio signaturæ seu figuræ taraxacorum in earum virtutes penetrare possumus, nempe quod sint antipleurítica, lilior. convallium, pæoniæ &c. cephalica, lithospermorum, lithontriptica. vid. Crollius de signaturis Plantarum: Ratione loci genitalis nosse poteris, herbas montanas esse balsamicas, & multa alia. Ut ut autem hæc sectatorem Medicum multum juvent, non diffitendum tamen cum Cl. B. *Ammanno* figuram hanc fallacem admodum esse. Quare probe notandum, notitiam Botanicam (1) esse *Grammaticam* (2) *Philosophicam* (3) *Medicam*; Sub illa quidem rectè omnem intellexeris cognitionem plantarum, quæ proprio cujuslibet plantæ nomine absolvitur. Plantarum vero nomina cum alia vetera, quæ in antiquorum, partim Græcorum, partim latinorum, partim denique Arabum scriptis reperiantur, alia recentiora, & vel à nostri temporis præclaris Botanicis iis indita, vel in vernaculis lingvis passim usitata, utrobique difficultas maxima occurrit, in tanta enim plantarum multitudine quamcunque oculis objectam proprio nomine appellare posse, memoriæ res est ingentis, tantumque non divinæ, attamen non desunt modi, & rationes, quibus si firmiter *βοτανόφιλος* institerit, facile hinc sese extricabit. Scilicet nomina plantarum, feliciter memoriæ traduntur, si (1) earum *signaturæ*, figuræ & effigies *penitius inspiciantur*. In quem finem perreptandi montes fylvæ & convalles scrutandæ, lacus & sta-



stagna sunt pervestiganda; comite' semper Flora, Franciana &c. Hinc facile facies ætate variante varians, qua poteras decipi, Tibi dispallescet, (2) si *planta sicca*, aptè tamen compositæ i.e. herbaria viva & horti hyemales *crebro inspiciantur*, & sedulo versentur. Ubi cum insigni fructu leges *Isagogen* Spigellii in rem herbariam, & Gvilielmi Laurenbergii libellum singularem, nec non Olai Rudbeccii Dissertationem de fundamentali plantarum notitia. (3) Si *effigies stirpium ad vitam sive depictas*, sive aliàs efformatas, sibi commendas habeat *Φιλοβοτανάτατ* &c. In quo post Matthiolum Bauhinum, Camerarium, Tabernæmontanum, Pancovium, Morison, Hermannum hodie eminent Botanicus Lipsiensium insignis *Excell. Rivinus* in voluminibus suis nuper adornatis. Quo pacto vel parum vel nihil de difficultate circa nomina remanebit. Quicquid vero remanserit illud partim eruditus Doctor, partim collatio Græcorum autorum, Theophrasti, Dioscoridis, Galeni, Simon Pauli in quadripartito Botanico, Clusius de exoticis &c. tollet. Ad *Philosophicam* verò quod attinet notitiam, ea consistit partim in cognitione *τῆ ὄτι*, partim verò *τῆ δίοτι*, hoc est, ut scias qualis sit omnium plantarum natura, & quare vel propter quas causas illa ita se habeat, & hæc frustra petitur ex foliorum distinctione, quippe quæ solummodo partes stirpium accidentales pro arcendo frigore & calore recenset. Frustrà ex odoribus & saporibus, frustra à radicibus diversis: Rectissime autem desumitur à caractere cujusvis plantæ essentiali, id est, à notis essentialibus generum & specierum plantarū, quæ semper & omni insunt, quæ in singulis, etiam vilissimo gramine, digito quasi nobis monstrantur. Quas notas characteristicas nemo Botanicorum ante beatum Am-



Ammannum, sollicitè & solide tradidit. Hinc nihil prius, nihil sit antiqui *charactere plantarum* naturali laudati *Pauli Ammanni*, nec non *methodo nova* plantarum *Johannis Razi*, atque catalogo plantarum circa Halam crescentium B. *Doctoris nostri Knauthii*. Medicam denique notitiam absolvet scire, quomodo plantæ vel nutrimento vel medicamento homini esse possint. Imò vero quænam, quomodo & quando obesse & prodesse queant. Hinc post firmam nominis, & essentiæ notitiam, (1) vires & virtutes gnauiter indagandæ. (2) Compositiones, si quænam officinalia inde vel prostant, vel proficere possint, edoceantur. Quo fine commendatissimi habeantur *Leonardus Fuchsius*, *Johannes Fernelius*, L. V. & VII. *Therapevtices*, *Bernhardus DeVsenius*, *Joh. Renodæus*, aliique inferiùs nominandi, inpr. Ol. Borrich. de usu plant.

CAP. III.

I) Conqueritur de pessima tractandi studium medicum plerorumque ratione, II) Inculcat impigre pergendum (1) in Physiologicis, (2) Pathologicis, (3) Semioticis eoque spectantibus thematologicis. (4) Diateticis (5) Pharmaceuticis, (6) Chirurgicis, (7) Lectione (a) Autorum Variorum, (b) dissertationum. (g) Observationum & epistolarum.

**O**rdine pervenies, quo non datur  
 ire labore! Quam *ἀμερόδως* plurimi eorum, qui hodie ingenium operamque mancipant arduo sacroque Medicinæ studio, id ipsum tractent, non nisi is, qui intimius iisdem utitur, intelligit; Ea enim consuetudo & contages tanquam pestilens aliquod sidus afflavit plerisque, ut vix excusso de penula pulvere puerili prono & præcipiti impetu ruant in praxin, de quemorbis curandis, de fornaculis chymicis, de horribilibus secretis operoso conatu disquirant ac disputent, nihil prorsus instru-  
 eti



Et in possessione *θεωρίας*, sed potius profitentes palam, has esse otiosas & inutiles speculationes. O conatum nimis irritum! quo vasta systematis Medici basilica exponitur super sabulum & uliginosum fundum. Alii magno satis conatu currunt, sed *ἐκ τῆς ὁδοῦ*, præposterè ab eo incipiendo, quo filum pertexendum absolvere, eoque proseguendo, quo incipere debebant; Alii adhuc rem cautius tractaturi satis esse putant, si potiores tantum partes curæ cordique habuerint, nihil memores illius Joh. *Begvini*: *Non didicit unquam totam Medicinam, qui unam partem neglexit, ne dicam, an rite totaliter medicari possit, qui non juxta omnes partes medicinam facit.* Satius rem medicam aggressuri partes amico nexu sociari, & alteram alteri auxiliatrices manus præbere censent, quo circa justum accuratumque servant ordinem, nec ab eo ad latum ungvem recedunt, firmiter persuasi, in eo verum consistere *Ariadnæ* filum.

§. II.

Hinc impigre proseguendum studium medicum, putant in *Physiologia*, i. e. doctrina de integritate machinæ corporis humani vitalis, rimando primo omnium in hac statumen & basin, id quod largiuntur *ossa*, unde comendatum sibi habent *Clopton Havers ostiologiam*. Dein perquirendo rotas principales, *cerebrum & cor*, de illo legentes *Charletonem, Willisium, Glaserum*; de hoc rimantes *Lowerum*, nec nõ inferiores sive ministrantes, nempe *pulmones*, de quibus *Schvammerdam & Alexander Maurocordatus*, Lienem de quo oculatissimus *Malpighius* Exercitat. de structura partium, *Highmorus, Glissonius & Excell. Wepferus*; *Renes* de quibus, laudatus *Malpighius, Deusingius*, & nobilissimus *Bellinus*, renum atque horum

C

rum



rum producti inquisitor exactissimus : De hepate , Malpighius , Deusingius , Glissonius in erudito de secretione animalis libello , Bilsius ; Glandulas , de quibus Bartholinus , Warthonus , Brunnerus , Ruydbeckius , Steno , & sæpius laudatus accuratissimus naturæ investigator , & inventis anatomicis felicissimus , Malpighius in epistola de structura glandularum conglobatarum , consimiliumque partium .  
 Examinando Organa auditoria , de quibus celeberrimus du Verney , Bartholinus , Kircherus , Casserius , Coiter , Aquapendens , Schelhammerus de auditus organo . *Visoria* de quibus Kircherus , Cardanus , Cartesius , Brigs . in ophthalmographia , Fr. Maria Grimaldi de lumine , iride & coloribus , Honoratus Faber in Synopsi optica , & Tract. Gallicus *Traite de la Lumiere . Odorifera* , de quibus præter Casserium de fabrica nasi , Bartholinus de organo olfactus , Dygbi & Borellus evolventi . *Gustatoria* , quæ Bellinus , Malpighius & Fracassatus ; Organa denique *Tactus* , quæ Malpighius præ aliis insigniter profequitur . Investigando pariter *partes genitales* , in quibus vel solus satisfacit anatomicus oculatissimus Graeffius , præter penis glandem , quam solus Ruyschius accuratissimè detexit in Observat. Anatomico-Chirurgic. obs. C. Quoad principium movens sive fluidum nerveum , ejusque continentes funiculos argenteos , intra & extra cerebri sphaeram existentes , legi merentur Raymundi Vioussens Neurographia universalis , & Willis de Anatomia cerebri , nec non Glaseri Tractatus de cerebro . Quoad fluidum vitale , sive nectar arteriosum , motum scilicet eumque perennem concilians , adeundi sunt Harvæus de sanguine , Conringius de motu & generatione sanguinis , Barbatus , Sylvius . Ut autem omnes partes fluidas moyentes irri-

gan-



gantes & humectantes machinam corpoream, ejusque rotas superiores cum inferioribus, imo vero qua excernenda, nihil prætermiffum relinquatur, consulendi incomparabilis *Bobnii circulus Physiologico-Anatomicus*, celeberrimi *Wedelii Physiologia*, medica scilicet & reformata, inprimis quoque seorsim legenda *Bibliotheca Anatomica*, in cujus lectione qui ordine & strenue perrexerit in via Regia minus errabit,

§. III.

*Pergendum impigre in Pathologicis*, cujus norma esse debet *Physiologia*: Quemadmodum enim ibi accuratam rectitudinem partium machinæ corporeæ omnium intimius rimatus est *Medicinæ sectator*, ita hic rotæ superiores cum inferioribus quomodo aberrare & deflectere possint, sedulo perspiciat. Perspiciat, quid vitii labisve ratione solidi & fluidi affricari possit rotulis superioribus, quid vero inferioribus; quo pacto principium movens jam tardius, jam impetuosius, modo planè subsistens & interclusum existere valeat. Qua ratione oleum nectareum idque vitale, basi & fundamento, quin imo ipsis rotulis, detrahi possit. Paucis, organa quæcunque, qui destrui possint animadvertat, idq; præter collegiorum, hanc in rem ubivis auspicandorum, frequentem & assiduam visitationem & dictos *Anatomicos*, in *Bibliotheca anatomica* seorsim reperiundos, in variis variè, inprimis vero *Casp. Hoffmanni Pathologia parva*, *Jonstonii idea Med. Pr.*, *Rolfincii epitom. cognosc. & curandi part. corp. affect.*, in *Enchiridio anatomico-Pathologico Riolanoy*, nec non *Dimerbrockii anatomia*; Præ aliis *Pathologia medica dogmatica Wedelii & Exc. Hoffmanni doctr. de febb. mechanica Poterio præfixa*, *Anton. Molinettus in diff. Anatomico-Pathologicis* it. *Schmitz compend. pract. legendi.*



§. IV.

*Pergendum impigrè in semioticis* quippe quæ sunt instar pyxidis nauticæ, ut aliàs audiunt, & in labyrintho corporis humani, tam laudabiliter quàm vitiosè constituti, vel sola instar fili Ariadnei esse poterant. Enim verò per evidentiora, & in sensus maximam partem incurrentia ad ignoti atque latentis magis cognitionem illa deducunt. Et quidem, quum ipsum latens maximè duplicem habeat respectum, nempe vel ad *presens*, vel ad *futurum*, universa semiologia rectissimè vel in dignotionem vel prænotationem dispescitur, nec è re fore crediderim, si illis *ἀναμνηστικὴ* addatur. Singula autem potissimùm petentur partim à constitutione externa, nempe conformatione, figura & situ partium: partim ab excrementorum saburra, quin imò ab externarum & internarum causarum motuumve legibus. Motum quidem pleramque partem designat *pulsus*, qui in machina nostra horologica vitali est instar indicis: Designat motum *respiratio*, de qua vide sis Excell. Schambergeri *Dissertationem de respiratione lesa*; designant motum *Nutritio, excrementa*, imprimis *alvina, sudor, sputum*, de quo vid. *Prosper Alpinus de præfagienda vita & morte*; designant *lacrymarum excretio, visus, auditus, olfactus, gustus, dolor in genere, lassitudines spontaneæ, decubitus, vox clangosa, tremores, convulsiones, singultus, rigores, horrores, somnus, vigilia*; Designant *color & totius corporis habitus, facies, genæ, lingua*, de qua legatur *Casulanus*. Designant quoq; *vomitus & urina*, de hac vid. *Martinius, Willichius, Horlacherus* aliique. Instar omnium erit Thomæ Fieni tract. *Semiotices*. Cui addantur, qua Prognosin quidem, Hippocrates, Meibomii commentarius ad Jusjur. Hip-



Hippocr., Hōnoratus Bicaisius, in diagnosi Jodocus Lommius. Atat cautè *pronunciet & prænunciet* qui *gloriam vult facere medicina!* quocirca maximè notandum est, eum, qui ratione *reconvalescentia & mortis* prænunciare gestit, instructum esse debere *Thematalogia*, quæ est *scientia ad datum tempus certum in loco certo figuram cœli erigendi, ex qua defuturis accidentibus rationabiliter judicare liceat.* Ubi oportet ad manus sint Argoli Ephemerides, earumque continuatio adornata hætenus à Kirchmajero: vel etiam Pandora Mathematica Grünebergeri. Inprimis vero, quod *temperamentum, mores, ingenium, divitias, infirmitates, miseriae, & dies criticos* concernit, de his omnibus legat, cui lubet, *Strauchium*, conjuncto cum illo Peucero de divinationum generibus. Et vero hæc scientia à Magnatibus tanto in pretio habetur, ut vel hac sola solide instructus emergere possit.

§. V.

*Pergendum impigrè ad Pharmaceuticam*, tam illam, quæ medicamentorum cognitionem, & præparationem, quàm quæ omnia corpora in sua principia reducere, dissolvere & destruere docet. Primum quidem quod attinet nempe cognitionem, ea tanta est, ut vel hac sola summa Salomonis metiatur sapientia. Licet autem sit diffusissima, facilitabunt tamen *Jonstonius, Camerarius, Schröderus reformatus, Hoffmannus, Samuel Dable.* Scilicet seorsim *ad vegetabilium cognitionem* solus sufficit *Rajus*, cum quo, si placuerit, jungantur *Nehemias Grevu, Malpighius, Habderrhabmannus Ægyptius* de propriet. Medicis animalium, Plantarum & gemmarum, quem ex Arabico vertit latinè *Abrahamus Eichellensis, Cornelius Stephani* in prædict. Rustic. Si quis verò ad *exactam vegeta-*



bilium seu botanices *notitiam* exurgere velit, omnes oportet sibi reddat familiares, nullo nec antiquorum nec recentiorum excluso. In *animalium* cognitione suppetias ferent Königius in regno animali, Jonstonius & Camerarius, it. Steph. Blancardus im **Schauplag der Rau-  
pen** & *Dobrzenski* apiaria. In *mineralibus* *Beccherus in Physica subterranea*, Libavius, Cæsalpinus de Metallicis, *Paracelsus* de Mineral. ejusque Commentator *Bodeus à Stapel*, *Barba* de Metallis, *Boëtius de Bood*, it. Christoph. Vielheuers **Beschreibung fremder Materialien**, it. **Neueingerichtete Material-Kammer von Georg. Nicolao Schurz**. Quod vero ad *preparationem* attinet, illa Tibi panaceas, antidota & præstantissima pharmaca promittet, quibus in labyrintho medico bestias venenatas seu incurrentes seu infestantes abigere, supprimere, tollere & eradicare poteris, quacunque forma genio & palato tuo arriserint, de qua legendi *Pharmacia Ludovici*, *Celeberrimi Wedelii Pharmacia acroamatica*, & libri duo de medicamentorum facultatibus, *Poterii opera Medica & Chymica cum additamentis locupletissimis* *Excell. nostri Hoffmanni*, *Ettmüllerus* in commentariis ad *Schröderum*; *Willisius* in *pharmacia rationali*, in *Pharmacopœa Augustana Zuvölferus*, *Dispensatorium Noribergense Amstelodamense*, *Londonense*; *Georgius Ernest. Ollingerus* in *Pharmacopœa Norica* aliique. *Chimia* denique pars *Physicæ Experimentalis*, qualis sit hujus vel illius corporis materia, quænam affectiones, quinam motus, motuumve leges oculis clarissime exponet, efficietque ut quod ingenio penetrare difficile fuerit, igne manifestum evadat. Hac igitur clavi, quæ intimam corporum essentiam, & elementorum, quibus constant, mixtionem referat atque recludit,



dit, destitutus certe nihil solidi in reddendis effectuum atq; phænomenorum naturalium causis efficere potest. Et verò, quid ille in corporis humani examinandis humoribus & particularum variarum mixtionibus, imo alterationibus pernoscendis, quid ille in functionibus inde emanantibus laude digni præstabit? Hinc lege sis Chymiam Rolfincii, Dissertationes Physico-Chimicas Excellentissimi Bohnii, Willisium de principiis Chemicis, it. *Diss. Inaug. de Experiment. Chymic. perversa explicatione.* Præs. Hoffm. Plura quoq; prostant in *Excell. nostri Stablii Tractatu de Fermentatione*, nec non in observ. *Chymico-Physiologico-Curiosis*. Per artem chymicam patebit, quid *Hematites* in se gerat, cujus chymicam tractationem Dn. Præs. primo quoq; tempore publicæ faciet lucis. Compendia qui mavelit, comparet sibi Vigani medull. Chemic., elegantem manuductionem par le Febure, & Courts per Nicol. L' Emery, Beguini Tyrocinium Chemicum it. *Excell. nostri Stablii Ætiologias-Physiologico-Chymicas*. Huc pertinet *Docimastica*, de qua Borrichius.

§. VI.

*Pergendum impigrè in Diæticis*, tum propter semetipsum, dum propter alios; Propter *semetipsum* quidem, ne corpus vel cibo, vel potu nimium gravetur, lucubrationibus nocturnis obruatur, aëri impuriori noxio exponatur, curis, animique pathematibus intempestivè consumatur, adeoq; in labyrintho medico magis periclitari incipiat: propter *alios* vero, ut, quales se circa sex res NN., quæ vel prodesse vel obesse possunt, gerere debeant monere, lapsus præcavere, & præsentia mala propellere edocere valeat. Quam in rem vel sola *Excell. nostri Hoffmanni Dissertatio de Diæta studiosorum suffice-*



ficere poterit. Præter hanc, cui libeat, adeat scholam Sa-  
lernitanam, ejusque Commentatores, *Zachariam Sylvium*,  
*Curionem*, legatque *Ranzovium* de conservanda va-  
letudine, it. *Henricum Mundium* in opere Medico Phys. de  
aëre, de esculentis & potulentis; *Marsilius Cognatus* de  
ordine in cibis servand, *Hier. Cardanus* de tuenda sanita-  
te, *Ludovicus Noñig* de re cibaria, it. *Joh. Bruxellennsis*.

§. VII.

*Pergendum impigrè ad Chirurgicas enchireses*: Et verò  
nemo unquam sese extricaturum absque Chirurgiæ ope  
confidat ex labyrintho medico. Enim verò nunc con-  
ferendi occasionem præbet ipse Chirurgus, cui Medicus  
ut magister imperare debet, recensendo hos illos ve ca-  
sus, consulendo, implorandoque; nunc ansam suppedi-  
tat ipse ægrotus vel in consiliū vocans, vel implorans Me-  
dicū suum: modò centū alii casū medicū promptum jubent  
esse Chirurgum. Et si qua alia, certe arte chirurgica maxi-  
mam sibi famam comparare potest. Hinc studiosus Me-  
dicinæ primò omnium *sit sollicitus de instrumentorum*  
*figura*, structura magnitudine, modo applicandi,  
quem in finem evolvantur *Hildanus*, *Paræus*, *Schultetus*,  
*Geelmannus* aliique, attendatque sollicite, quænam in ge-  
neralioribus operationibus, quænam verò in specialio-  
ribus & qua ratione adhibenda: videat quæ instrumenta  
& enchireses sibi exoptulet *Synthesis*, quæ *diæresis*, quæ-  
nam *exæresis*, qualia *aphæresis*, *prosthesis* & *diorthosis*.  
Dein quoque in causis investigandis, evolvendis  
legat uberius *Aquapendentem*, *Hildanum*, *Paracelsum*, *Jes-  
senum à Jessen*, *Steph. Gourmeleum*, *Vidum Vidium*,  
*Guillemaum*, *Ingrassiam*, *Jacobi Carpi aureum opuscu-  
lum*, *Ruyschinm*, *Soolingen*, *Meckren*, *Agricolam*, *Bar-  
bet-*



bette, Marchetti Hornium, Myus, Dolaum, Fallopium ævi  
sui Æsculapium, Andr. à Cruce, &c.

§. VIII.

*Pergendum impigrè una cum hisce hæctenus recen-*  
*fitis in assidua Auctorum, maxime antiquorum, lectione.*  
Neque vero unquam HIPPOCRATIS scripta è manibus di-  
mittenda, nec ullo die ab ejusdem lectione disistendum;  
Hinc enim Medicorum Antesignani se doctiores semper  
redire attestantur. At quotusquisque ille, qui  
eum vel fugitivo perlegerit oculo, vix viderunt Hippo-  
cratis scripta, ne dicam evolverunt & nihilominus se,  
Magnatibus medicinam facere gloriantur multi Practi-  
corum? At quali eventu? sæpe tristissimo? *Legende & rele-*  
*gendæ quoque sunt Disputationes selectiores à variis va-*  
*riè habitæ.* Hic enim, verba sunt viri in arte medica,  
non ultimi, ea maxime expromuntur, quæ sanctè alias  
& religiosè habebantur, proinde legantur sedulo *Differ-*  
*tationes Albinianæ, Hoffmannianæ, Stahlianæ, Bergerianæ,*  
*Rivinianæ, Bohnianæ, Wedelianæ, Meibomianæ, Schraderianæ*  
*&c.* Quæque hæctenus legere, audire, ediscere memi-  
nerit, ea tandem ad usum transferat, hinc tam oppo-  
nendo quam respondendo impigrè sese exercent: Quæ  
vel sola, effato sapientissimorum virorum, via est per-  
veniendi ad rerum abditissimarum exquisitissimam co-  
gnitionem. Hac sese emerfisse, hac Reginae artium pa-  
latium salutasse, superasse & inhabitare exsultant quam  
plurimi. Felix igitur, ordine qui potuit medicas addis-  
cere partes!

CAP. IV.

I) Enerrat præposteram methodum tractandi studium Medicum partim defi-  
ciendo partim excedendo, II) Demonstrat veram medendi methodum,  
cujus tradit (1) fundamenta, (2) Adminicula, (3) Commendat in primis  
pietatem, eaque concludit.

D

§. Me-



**M**edicina praxi cassa, inanis est!

Dantur inter Medicinæ cultores, qui sese adeo operosè & prolixè tradunt Theoriæ, ut Praxin, ceu finem unicè ad gloriam divinam & proximi succumbentis levamen tendentem, penitus negligant: Sunt, qui in Physicis materiæ, ejusque figuræ, magnitudini, porositati, densitati, gravitati, tantum largiuntur, ut Physicam medicam postponant. Sunt, qui in Physiologicis minutiis inhærentes, investigantesque quotnam ductus lymphatici, quotnam glandulæ cutaneæ, quænam membranarum textura, verum usum & functionem partium susque deque habeant; Inveniuntur, qui in Botanicis inquirendo nimio opere plantarum divisiones, nominum varietatem, characterum diversitatem, virtutibus, viribus, compositionibus parum vel nihil temporis tribuant. Inveniuntur, qui particularum configurationi, doctrinæ Salium dies noctesque sese mancipando, illa quæ ad εὐ εἶναι faciunt sedulo tractent, ipsum vero εἶναι perperam deserant. Hinc illud scandalum (verba sunt *Excell. Nostri Stahl* in *progr. de bono Theoretico malo Practico*) quod vel impossibilibus vel inanibus, vel non raro ridiculis indicationibus, intentionibus, inventionibus exponit Medicum, hinc incertus in consilio, trepidus in experimento, infelix in effectu & praxi redditur Medicus. Sed faniores illi, quos de meliori luto finxit præcordia Titan, autorum suorum dicto audientes, quæcunque in Physica, eaque maxime Experimentalis, in Physiologicis, Pathologicis, Botanicis, agant & suscipiunt, *cuncta primò omnium ad motum,*  
quip-



quippe quo omnia fiunt in corpore, cujus gravissimæ existunt læsiones, quo ipso medicamenta effectum suum fortiuntur, imo vero quo etiam sanandum: hincque, scilicet à motu, ad *finem medicum dirigunt*. Quapropter, studium medicum *cordatè auspicatum, impigre continuatum, absolvendum fideliter reputant methodo medendi genuina*. Hæc enim via illa regia, in qua si manserit Medicus, nullos mæandros, nullos circuitus, nec longitudinem, nec difficultatem, neque obstrektionum neque cavillationum ventos & procellas, nives & grandines æstumat, certissimus, finem impetratum iri exoptatum. Heic itaque notentur *quoad fundamentum hujus methodi*, (1) Contraria contrariis curanda, (2) similia similibus esse conservanda. Deindè *pro curatione quorumvis morborum sequentes* menti oculisque subjiciantur *regulae*. (α) Ut Curatio fiat citò, tutò & jucunde; (β) Ut à mitioribus progressus fiat ad fortiora; (γ) Ut universalia præmittantur particularibus; (δ) Ut semper attendatur causa morbi proxima; (ε) Ut in morbo complicato semper ille primum oppugnetur, qui inducias non patitur & magis urgens & periculosum symptomata è medio tollatur. Una cū his innitantur & *fundentur omnia Indicationibus certis manifestis, firmissimisque, nempe curatoriiis, præservatoriis & vitalibus*, ita ubivis concludendo: Quicquid machinam corporis humani vitalem labefactare & destruere valet, illud est averruncandum; quicquid contra conservare potest, illud eligendum; A. morbi labefactare & destruere valent, diæta bona contrà conservare E. illi averruncandi, hæc verò eligenda. Ubi habebis *Indicans & Indicationem*, Indicatum illud Tibi erit, quò expellere, morbos licebit, petendum vel ex fonte diætetico, vel

D 2 phar-



pharmaceutico vel chirurgico. Pro assequenda vera, firma hacce methodo facient Casparis *Hoffmanni*, *Fernelii*, *Walsi*, *Waldschmidii*, *Ettmülleri*, *Joh. Schyrnii*, *Franchmondii*, *Heurnii*, *Franc. Vallesii Meth. Med.*, *Deckeri exercit. Pract. lectu dignissimarum indefessa evolutio & lectio.*

§. II.

*Fideliter absolvendum studium medicum frequentando assidua constantia collegia Practica*, tum simpliciter talia, tum *casualia*, quæ passim adaperiuntur. Neque vero tantum collegia visitanda, dictata conscribenda, explicatio attente auscultanda, verum conscripta, audita *ruminanda* sunt, & in succum & sanguinem convertenda, ut adeo nullus dies sine linea. Proprio quoque Marte *casus elaborandi*, autoresque varii evolvendi, legendi & relegendi.

§. III.

*Fideliter absolvendum studium medicum legendo varios autores Practicos*, *Sennertum* puta, *Joelem*, *Ettmüllerum*, *Michaelem*, *Waldschmidium*, *Sylvium Dimerbræckium*, *Willisium*, *Doleum*, *Sydenham*, *Poterii* opera *medico-chymicum additamentis Excell. Hoffmanni*, *Thom. Burnetti thesaur. Practic. Rolfincii Epitom. cit. Schmitzii compendium* in quibus omnibus tam *Onomatologia* quam *Pragmatologia* unâ cum medicamentorum selectiorum commendatione & præscriptione curæ cordiq; habenda; *Legendo* observationes tam veterum quam Recentiorum, in primis *Theophili Bonnetti sepulchretum*, observationes & consilia *Thonneri*, *Panarolli*, *Velschii*, *Solenandri*, *Rhodii*, *Henr. ab Heer*, *Salmuthi*, *Tulpium*, *Horstii*, *Borelli*, *Helwigii*, *Stalparti*, *Cratonis*, *Pechlini*, *Bartholini acta*.  
Haff-



Haffniensia, Historiæ & observationes, Ruyschii observ. Medico-Chirurgic., nec non Mercklini Syllogen obs. casual. de incantatione, imò verò Riverii & Plateri epitom. Legendo pariter Miscellanea Academiæ Leopoldinæ, Zodiacum Medico-Gallicum, transactiones Anglicanas Valentini Historiam literariam Medicam, ephemerides Oxonienses, Florentinas, Acta Dublinensia &c. *Legendo epistolas medicas*, à variis varie extantes, præter alias Hortii & Langii lectu dignissimas. Imò verò Consultationes & casus Medicos inprimis Fortunati & Timæi a Guldenkleee; Quæ omnia, si cum diligenti Aphorismorum Hippocratis lectione conferantur & concilientur, clarissimam lucem in praxi medica affundere, & ex labyrintho in viam Regiam, tutam, commodam & exoptatam deducere experto crede Ruperto.

§. IV.

*Fideliter absolendum studium medicum conversando & familiariter consuescendo cum Doctore Practico, eoque rationali, erudito, probo, impigro, & curioso; Heic enim manu quasi ducitur ad praxin Medicam, ubi sæpius cum eo colloquutus fuerit de morborum differentiis, causis, signis, symptomatibus, ipsaque methodo medendi: ubi à latere ejus nunquam discesserit, sive propria medicamina domi ægrotis dispenset, sive præparanda in pharmacopoliis præscribat; Ibi namque modò in medicamentorum apparatu conquirendo & præparando multa addiscet, modò in ipsa dispensatione, dum illa invicem commisceri renuunt, hæc amicè & blandè coeunt, hæc pillulas, pulveres, potiones ingredi possint, illa maritari usdem recusent: Hæc manè, illa vesperi vel meridie propinari debeant, nunc intelligat, quando purgandum*

D 3

quan-



quando VSda, &c. De quibus omnibus vid. Dissert. Inaugur. de Prudenti medicamentorum applicatione in tempore sub Excell. nostr. Hoffmann. nunc rarioribus observationibus tempus cum eodem conterat, nunc cum ipso Medicum clinicum agat. Heic addiscat, qua methodo formulæ præscribendæ, qua dosi danda ingredientia, liquida, solida, pulveres, sirupi, spiritus, essentiæ, tincturæ, opiata, vomitoria, purgantia. Quænam cautelæ in præscriptionibus observandæ, de quibus legi quoque possunt, Fuchsius, Ettmüllerus, Morellus, & aureæ Wedelii Tabulæ de compositione medicamentorum extemporanea & Eyselius, juxta atque autores Practici saniores, Forestus, Waldschmidius, Dolæus, Barbette &c.

§. V.

Quibus recensitis filum nostrum abrumpere liceret, nisi unum adhuc commemorandum restaret; Quo igitur auspiciari debuissimus, nunc filum nostrum absolvemus: Illud autem in eo consistit, ut nimirum, simulatque Candidatus Medicinæ intellexit, se aptum natum esse Medicinæ, Φύσιν non abnuere, μάθεσιν & ἀσκεσιν favere, in primis in omnibus actionibus Deum sibi proponat Præsidem, Ductorem, Tutorem & Vindicem, studium hoc ipsum à Deo & cum Deo auspicietur, cum Deo in eodem pergat, ad Ejusdemq; æternam gloriam fideliter absolvat. Paucis, Pietati totum totum se mancipet. Enim verò, si cuidam alii, certè Medico è re maximopere est, Esse Pium vel effato ipsius Hippocratis: τὸ εὐχεσθαι πρέπον, καὶ λίαν ἐστὶν ἀγαθόν. Hinc manifestum est Medicos plerumque non adeò eruditos & ad ungvem efformatos, pios tamen, probos, sobrios, sinceros & assiduos fortunam



nam ubivis habere comitem, & Practicos esse felicissimos. Contrà verò Medicos eruditissimos, impios tamen, adversa damnari fortunâ. Neque vero ignotum esse potest Medicum impium, temulentum, litigiosum, riacundum Reip. existere maximè calamitosum. Quo sine legatur *Dissertatio Bohniiana de Officio Medici & Vestiniana de requisitis genuini Medici*. Pietatem itaque quicumque in studio medico pro fundamento posuerit, is benedictionem ubivis consequetur uberrimam & exoptatum finem.

p. 4. l. Gracchum. p. 6. indolis. p. 7. quotidie exercenda. p. 8. Regina. p. 10. cum fundam. p. 11. philosophiæ. p. 18. Briggs. cætera corrigat B. L.



**N**on anni doctos faciunt, facit  
improbis ardor  
Scandere quò, WACHTEL,  
pulpita docta queas:  
Sis pius, assiduò doctam redamare  
quietem  
Pergas, quamque geris, spes fe-  
ret omne bonum!

Gratulabundus apposuit.

FRID. HOFFMANNUS P.P.  
Res



**R**Es certè impliciti Medicina est plena laboris ,  
Errores varios, devia multa, timens.  
Si tamen ad certam pertingit denique metam,  
Tunc debellatâ præmia morte reiert.  
Non malè Dædaleo confertur sic labyrintho  
Principio, medio, fine, labore probo.  
Quisquis in his felix ambagibus ire laborat,  
Felix, si catâ ducitur ille manu,  
Hoc dum Tu pariter facis , Ornatisime WACHTEL,  
Applausu dignus fit Tuus iste labor:  
Perge sequi Medicos, quorum modò nomina laudas,  
Et de quo scribunt, mente capesse bonâ:  
Sic Te quod filum manibus geris, arte medendi,  
Indeque mox faciet plurimo honore frui.

*Præstantiss. Dno. Respondenti  
l. manuq; scrib.*

**G. E. STAHL, D. P. P.**

---

**E**Cce, Φύσις Medicis , WACHTEL carissime,  
cœptis,  
Et μάθησις prudens , & locus ipse favet:  
ἀσκησις hinc nexu rapiat Pietatis amorem,  
Et poteris similis filius esse PATRIS!

His  
Favorem atq; amorem Tui, Nobilissime  
WACHTEL, contestatur prospera  
quæq; apprecans

**PRÆSES.**














ULB Halle  
005 308 755

3




LDNA











B.I.G.

Farbkarte #13

1698

23

12

ONE MEDICA  
**ARIAD.**

**U M**  
**MEDICO,**

*vinâ Gratiâ,*  
RIDERICIANA  
*gnificentissimo*

NCIPE AC DOMINO,  
**DERICO**  
ELMO,

BURGICI HEREDE, &c. &c.  
*Medicorum Ordine,*

IDE  
DOCTORE,  
**HEINRICO**  
ISTERO,

vole probandum offerre  
ebit

**ICUS WACHTEL,**  
anus.

M.D.C.XCIIIX.  
horis antemeridianis.

ristiani Henckelii Acad. Typogr.